



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||
quatuor.||**

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

Quæstio tertia. Vtrum in Deo sint aliquæ ideæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

Utrum autem res create omnes vel aliqua sint in deo per suas similitudines patebit in sequenti questione. Ad autoritates Anselmi patet responsio.

QVÆSTIO TERTIA.

Utrum in Deo sint aliqua ideae.

Tho. 1. q. 15.

Postea queritur de ideis. Et primo, utrum in deo sint aliqua ideae. Et videtur quod non, quia si poneretur, hoc esset ut essent principium essendi, vel cognoscendi, non ut sint principium cognoscendi, quia per idem cognoscit Deus se & alia, sed non cognoscit se per ideam, ergo nec alia. Nec etiam ut sint principium essendi, quia cum Deus sit causa creaturarum per intellectum, ideae non possunt esse principium essendi creaturæ, nisi sint principium cognoscendi, quare &c.

* alias pro
ducendi &
infra.

2 Item secundum Aug. melius & perfectius cognoscuntur res per essentias suas quam per suas similitudines, sed Deus perfectissime cognoscit res, ergo cognoscit eas per proprias essentias, non ergo per ideas quas sunt quaedam rerum similitudines.

3 **IN CONTRARIUM** est quod dicit Aug. lib. 83. q. 46. q. quod tanta vis est in ideis, ut sine his intellectus sapiens esse nemo possit, constat autem Deum esse sapientissimum, quare &c.

4 Item omnes forme que sunt in potentia passiva materię sunt in potentia actiua primi motoris, ut habetur a commentatore. u. metaph. sed nihil aliud dicimus ideas quam formas rerum in Deo intellectualiter preexistentes, ergo &c.

5 **RESPONSIO.** Videnda hic sunt tria. Primum est quid vocamus ideam. Secundum est an ideae sint in deo. Tertium est quo modo se habeant ad intellectum diuinum, & ad actum intelligendi.

6 **QVANTVM** ad primum sciendum est quod Aug. ubi supra dicit quod idea si verbum ex verbo transferatur dicitur apud nos forma vel species. Si autem dicatur ratio hoc non est secundum proprietatem nominis. (Ratio enim alio nomine significatur apud Græcos, dicitur enim logos) tamen (ut dicit) natura rei non discrepat. ex quo possumus accipere quod cum idea secundum proprietatem nominis sit forma, & secundum veritatem rei ratio dici possit quod idea est forma intellectualis, solum enim talis forma potest proprie dici ratio, nam forma secundum esse quod habet in materia non dicitur proprie ratio, non enim nisi tamē forma intellectualis potest dici idea, sed solum illa ad cuius similitudinem aliquid est producibile. Unde Dion. 5. ca. de di. no. appellat ideas exemplaria, & Seneca in quadam epistola ad Lucillum dicit quod idea est exemplar ad quod artifex inspiciens operatur quicquid operatur exemplar autem est ad cuius similitudinem aliquid fit vel est factibile. Ex his ergo possumus accipere quod idea est forma vel ratio ad cuius similitudinem agens per artem potest aliquid producere.

7 **EX HOC** apparet secundum scilicet quod ideae sunt in Deo, & propriissime sunt in eo, quod patet sic omne agens per intellectum habet penes se rationem rei fieri deam quam cognoscit, & iuxta quam exemplariter rem producit, & hoc patet de se, & per dictum Aristot. 7. meta. ubi dicit quod ab arte sunt quorum species est in anima, ut sanitas in materia fit a sanitate in anima, & arca similiter. Sed Deus producit res per intellectum, & artem, ut probatum fuit in præced. dist. ergo Deus habet penes se rationes rerum quas cognoscit & iuxta quas res producit. Has autem vocamus ideas, ergo &c.

q. 1. num. 5.

8 Non solum autem ideae sunt in Deo, imò propriissime sunt in eo, quod sic patet, res enim habet esse quasi sex modis. Vno modo in potentia materię. Alio modo in causis suis agentibus & naturalibus, vnumquodque enim præexistit aliquando in omnibus causis suis, ex quibus vel a quibus educitur passivè, vel actiue. Tertio modo, res habent esse in seipsis cum iam productæ sunt. Quarto modo habent esse in intellectu nostro, anima enim quodam modo est omnia. Quinto modo habent esse in intellectu motoris orbium, quia opus naturæ est opus intelligentiæ. Sexto modo habent esse in intellectu primi. Est enim Deus per suum intellectum causa omnium entium, esse autem quod habent res in potentia materię non habet

Directiva
infra d. 38.
q. 1. num. 23.

ratione ideæ, quia idea est quid actuale, dicitur enim forma vel species, esse autem rei in potentia materię est pure quid potentiale, esse etiã rei in suis causis naturalibus & agentibus non habet rationem ideæ, quia idea dicit aliquid quod ut sic pertinet ad intellectum, est enim ratio sine qua nullus intelligitur sapiens secundum Aug. esse autem rei in suis causis naturalibus non est intellectuale, ut sic. Itē esse rei in seipsa non habet rationem ideæ, quia idea dicit aliquid factuum, saltē per modum exemplaris, esse autem rei in seipsa est aliquid factum magis quã factuum saltē respectu sui non habet rationem factiui nec ideæ, idea etiã dicit quid incōmunicabile propter quod ratio rei in intellectu nostro non est idea, dicit etiã quid primũ & principale, & sic forma rerũ in mente angelica non sunt proprie ideæ. Itē autē duę ultimæ conditiones solũ sunt conditiones ideæ secundum quod idea principalissime accipitur, & sic solũ vel potissime idea est in Deo, ratio enim cuiuslibet rei in mente diuina est quid actuale, intellectuale, factuum, incōmunicabile, & primum seu principale.

* alias in
com
mutabile
& infra.

9 Has quinque conditiones tangit Aug. li. 83. quest. q. 7. dicens sic, ipse nanque principales (quo ad quinque conditionem) quaedam formæ (quo ad primam) & rationes rerum (quo ad secundam) stabiles atque incommunicabiles (quo ad quartam) quæ ipse formare non sunt & cum ipse neque oriuntur, neque intereant, secundum eas tamen formari dicitur omne quod oriri & interire potest, & omne quod oritur & interit (& hoc est quantum ad tertiam conditionem) & sic patet secundum propositum, scilicet quod in Deo sunt ideæ propriissime.

10 **QVANTVM** ad tertium, scilicet qualiter se habeant ideæ ad intellectum diuinum aduerendum est quod est ibi considerare quatuor, scilicet intellectum & rationem secundum quã intelligit, & actum intelligendi, & rem intellectam, horum tria prima nunquam differunt in Deo nisi secundum rationem, quartum autem quandoque differt secundum rem, & quandoque non, res enim intellecta primò & principaliter non differt ab eis nisi secundum rationem. Primum enim & principale obiectum intellectus diuini est sua essentia, ut visum fuit supra, di. 35. q. 1. sed obiectum secundarium quod est res creata differt realiter ab aliis tribus.

11 Inter hæc autem solum obiectum potest habere rationem ideæ. Quod patet dupliciter: Primò, quia idea est exemplar ad quod artifex inspiciens operatur (ut patet ex iam dictis) sed illud ad quod intellectus inspicit est eius obiectum, & nihil aliud nisi ut induit rationem obiecti, sicut & in sensu illud ad quod visus corporalis inspicit est eius obiectum, nec quicquam aliud nisi cadat sub modo obiecti, ergo solũ obiectum intellectus diuini habet rationem ideæ.

12 Secundò patet idem sic, idea licet non sit nobis eque principaliter respectu artificiatorum, sicut est in Deo respectu omnium creatorum vel creabilium, est tamē aliquando, sed in nobis idea respectu artificiatorum, non est in intellectu artificis nec suus actus intelligendi, quia ad istorum similitudinem res artificata non producit: producit autem ad similitudinem ideæ suę, nec idea est ratio intelligendi quæ sic est ratio intelligendi quod non est intellecta, sicut est species secundum ponentes ipsas, quia ad rationem intelligendi sic acceptam, & retentam nunquam respicit intellectus artificis, refert ergo quod idea in nobis sit solum obiectum intellectus nostri, quare & in Deo proportionabiliter oportet dicere quod idea non sit intellectus diuinus nec actus intelligendi, nec ratio intelligendi & non intellecta, sed sit solum obiectum intellectus diuini quod concedendum est.

13 Sed hic est aduertendum quod obiectum intellectus diuini est duplex, quoddam primũ & principale quod est essentia diuina. Aliud autem secundarium, scilicet res creabilis, vel creata. & ideo inquirendũ est quid horũ habeat rationem ideæ an alterũ tantum, an vtrunq. Videtur autem prima facie quod res creabilis & intellecta a Deo sit idea sua ipsius, ut est productibilis in re extra. Et hoc patet primo ex ratione ideæ sic, idea est ratio rei apud intellectum existens obiectiue, ad cuius imitationem aliquid est producibile, sed creatura ut intellecta a Deo se habet ad seipsam ut est producibilis in re extra, ut ratio apud intellectum existens obiectiue ad imitationem etiam rei, ut est intellecta produci, ipsa producit in re extra, ita quod idem

vt productum imitatur seipsum vt est intellectū produci, sic enim & non aliter producit res extra, sicut præintellecta fuit produci, ergo creatura vt à Deo intellecta est idea sui ipsius vt est producibilis vel producta, & est illud simile ei quod dictum est supra dist. 19. cum quereretur de veritate, tunc enim dictum fuit q̄ in hoc consistit veritas, q̄ res vt intellecta conformatur sibi ipsi, vt est in natura, quia veritas nostri intellectus aliquo modo causatur à rebus: nunc verò dicitur q̄ res extra imitatur seipsum, vt fuit vel est à Deo intellecta, quia esse rerum causatur ab intelligere diuino, in hoc ergo est similitudo quòd idem imitatur vtrobiq̄ seipsum aliter tamen & aliter acceptū.

14. Secundo patet idem sic arguendo, vt prius sicut in mente diuina sunt idee omnium creatorum, sic in mente artificis sunt idee artificiorum, sed idea in mente artificis est ipsamet res artificialis vt præconcepta, ergo &c. Minor declaratur autoritate & ratione, autoritas Arist. 7. metaph. prius allegata est quòd fanitas in materia sit à fanitate in anima, ita q̄ eadem fanitas vt intellecta est idea sui ipsius vt effecta. Ratio etiam est ad hoc quia nihil est in mente artificis, ad cuius imitationem res exterior producatur nisi ipsamet res vt est intellecta, & si quis dicat q̄ imò quòd artifex faciens arcam facit eā ad similitudinem alterius arcæ quā vidit, & cuius conceptum penes se in mente retinuit, nō valet, quia accidit quòd artifex cognitionem arcæ fiendæ acceperit ex aliqua prius visa. Si enim nunquam aliquā vidisset, sed Deus infunderet ei cognitionem arcæ faciendæ adhuc produceret arcam per artem, & ita ideā, quæ tunc non esset nisi ipsamet res vt intellecta, nunc etiā accipiente artifice cognitionem arcæ fiendæ ex arca prius visa cognitio arcæ visæ non sufficeret ad producendū per artem nouam arcam, nisi formaretur de arca fienda nouus conceptus, cōceptus autē de arca fienda si esset, sufficeret absq̄ conceptu de arca prius visa, ergo magis habet rationem ideæ in nobis res fienda, vt prius concepta, quā quæcunq̄ res alia. Tertio, quia idea non ponitur nisi respectu effectus producti per artem, seu per agens per intellectū, sed agens per intellectum nō differt ab agente naturali, nisi quia præcognoscit quod producit, illud autem non præcognoscit quod producit, ergo idea nō est aliud quā res præcognita, sic ergo patet quòd res creabilis vt à Deo intellecta habet rationem ideæ respectu sui ipsius vt effecta, nec dubium q̄ hoc modo loquuntur Philof. de ideis, licet nomen ideæ pauci exprimant. Hoc etiā modo loquitur de ideis Seneca in loco prius allegato, & Aug. 83. q. 4. s. quæst. qui viderit non differre à Platone in ponēdo ideas: nisi quod Plato posuit eas per se existentes (vt Arist. imponit ei.) Aug. verò ponit eas in mente diuina, sed cōstat quòd Plato dicit ideas esse quidditates rerum, quare &c.

15. Sed contra hoc arguitur dupliciter. Primo quia creatura cognita nō est æterna, sed ideæ secundum Aug. sunt æternæ, ergo res cognita nō est idea. Si dicatur quòd res creata secundum esse cognitum est æterna, & sic est idea. Contra, quia quæro quid intelligis per esse cognitū creaturæ, quia aut intelligis per esse cognitum cognitionem Dei de creatura, & tunc sequitur quòd creatura non est æterna, sed cognitio Dei de ea, aut intelligis per esse cognitum esse creaturæ in proprio genere quòd Deus nouit & tale esse non est æternum, quia nullum esse reale extra Deum est æternum, aut intelligis per esse cognitum habitudinem rationis quæ est inter creaturam cognitam & Deum cognoscentem, & ista habitudo non est creatura cognita, quia creatura non dicit habitudinem rationis, nec etiam talis habitudo potest esse idea, & ideo non potest dici quòd aliquod ex parte creaturæ sit æternū, quod posuit dici idea.

16. Secundo sic secundū beatum Aug. idea est principium producendi creaturā, sed creatura cognita vel nō cognita non est principium producendi seipsam, ergo &c.

17. Ad primum argumentum dicendum est quòd licet res secundum esse proprii generis non sint æternæ, tamen sunt æternæ secundum esse cognitum à Deo, nec per illud esse cognitum intelligo cognitionem Dei, nec esse creaturæ secundum proprium genus, quia illud (vt sic) non est æternum, sed habitudinem cognitionis diuinæ ad creaturam cognitam secundum quam habitudinem ipsa di-

citatur esse ab æterno in mente diuina obiectiue à Deo cognita, & hæc habitudo non est res, sed ratio: nec necesse est semper ideam esse rem, sed sufficit quòd sit ratio rei apud intellectum artificis sicut fanitas in anima est idea fanitatis in re extra, & domus in mente artificis est idea domus materialis quæ fit extra per artificem.

18. Ad secundum dicendum est quòd Aug. non dicit quòd ideæ sint causa vel principium producendi creaturas, sed dicit quòd ideæ sunt rationes rerum secundum quam dicitur oriri & interire omne quod oritur & interit, & talis ratio potest esse & est creatura, vt à Deo præcognita, quia talem creaturam producit Deus qualem præconcepit producere, verum est quòd idea quandoq̄ est principium seu causa saltem remota rei productæ in artifice qui cognitionem rei fiendæ sumit ex alia re simili fiendæ rei, & ad cuius similitudinem rem fiendam producit, quia si talis res est causa cognitionis artificis, per consequens ipsa est causa rei productæ per cognitionem, nam quicquid est causa cause, est causa causati. Sed vbi artifex non accipiet cognitionem rei fiendæ ex alia re: aut si ex alia re talem cognitionem accipiet, non tamen ratione similitudinis seu exemplaritatis idea nō esset causa rei productæ, quia in tali casu idea non potest proprie dici nisi ratio rei fiendæ apud intellectum artificis, quia nihil aliud habet ibi rationem similitudinis, seu exemplaritatis.

19. De essentia autē diuina quæ est primū & principale obiectū intellectus diuini vtrū habeant rationem ideæ respectu creaturæ est intelligendū q̄ sicut dictū fuit prius, quedam sunt perfectiones cōmunes Deo & creaturis, vt esse, viuere, cognoscere: quedam sunt solum in deo, vt esse omnipotentem, infinitum, & huiusmodi: nec fiat vis modo vtrum dicant perfectiones an non. quia certum est q̄ sunt quedā diuine conditiones, & hoc sufficit pro nunc: alia sunt quæ solum inueniuntur in creaturis, vt illa quæ dicuntur per oppositum ad prædicta, vt esse finitum, creatum, & huiusmodi, & præter hæc, omnia quæ dicitur quidditates rerum creaturarum, vt leo, bos, & huiusmodi, vel perfectiones earum eo modo quo eis conueniunt, vt sentire vel ratiocinari & huiusmodi, quæ dicuntur perfectiones nem modo quo conueniunt creaturis.

20. Si ergo consideretur essentia diuina, & creatura quantum ad conditiones quæ hinc & inde dicuntur per oppositum, sic essentia diuina nō potest habere rationem ideæ, nec creatura rationem ideæ, cuius ratio est, quia illa quæ non possunt se habere sicut imitabile & imitatum, non possunt se habere sicut idea & ideatum, sed essentia diuina & creatura consideratæ quantum ad conditiones in quibus sibi opponuntur (vt sunt finitum, & infinitum, creatum & increatum) non possunt se habere vt idea & ideatum. Vtraq̄ propositio patet ex rationibus terminorum, quia causa prædicata includitur in subiecto.

21. Si autem considerentur Deus & creatura, quantum ad perfectiones eis communes, vt sunt esse viuere & cognoscere, intellectus, & voluntas, sic in diuina essentia bene inuenitur ratio imitabilis, & in creatura ratio imitatum, omnia enim quæ sunt, imitantur essentia diuinam quo ad esse, & omnia viuientia quo ad viuere, & omnia cognoscentia quo ad cognoscere, & omnia intellectuua quo ad intelligere, & velle. & hoc modo essentia habet rationem ideæ respectu creaturæ, & creaturæ habent rationem ideæ torum, vel ideabilium, & secundum hunc sensum dicitur Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Verum tamen hoc est imperfecte, quia vbi nō est perfecta ratio imitationis non est perfecta ratio ideæ, & ideabilis, sed hic non est perfecta ratio imitationis, ergo &c. Maior patet, quia idea & ideatum dicuntur imitabile & imitatum, propter quod vbi nō est perfecta imitatio non est perfecta ratio ideæ & ideati, minor probatur, quia imitatio Dei à creatura quantum ad quascunq̄ perfectiones Deo & creaturæ cōmunes non est secundū identitatem speciei, * & tamen dicitur esse quedā imitatio dei à creaturis quo ad hoc per oppositū ad illa quæ sic cōueniunt deo q̄ non creaturis, vel sic creaturis quod non Deo in quibus nulla est omnino imitatio quin potius oppositio. Est etiā imitatio secundum proportionem, quia qualem ordinem realem habet tales perfectiones in rebus creatis, quia cōmuniores sunt priores eo quòd inueniuntur sine aliis, rati-

* aliis hinc

sem habent in Deo secundū rationem: vt esse prius secundū rationem quā viuere, & viuere quā cognoscere, & sic de aliis. Imperfecte ergo imitantur res creatę diuinam essentia quod ad perfectiones hinc inde cōmunes, & ideo non est inter ipsas perfecta ratio ideę & ideati, sicut est inter rem intellectam & seipsam effectam.

22 De quidditate autem rerū quo ad suas rationes specificas, & perfectionibus earū sub modo quo eis conueniunt, quo modo possint habere diuinā essentia pro idea difficile est videre, imō non videtur possibile, quia illa secundum quā vna res est idea, vel exemplar alterius, & alia est eius ideatum seu exemplarū sunt in vtroq; formaliter & propriē & secundū aliquam similitudinē, sed quidditates rerum secundū suas rationes specificas, & perfectiones earum secundū modum specificum quo eis cōueniunt non sunt ideo formaliter & propriē, sed solū metaphoricē, nec aliquid formaliter in Deo existentis correspondet eis secundū similitudinē, ergo res creatę quantum ad suas quidditates secundum rationē earum specificam, & quantum ad suas proprietates specificas, secundū modum quo eis conueniunt non habēt essentiam diuinam pro idea, maior patet, quia cum ideatum & exemplarum sit imitariū ideę & exemplaris, ad similitudinē enim ideę & exemplaris produciuntur ideatum, oportet in vtroq; esse aliquid formaliter secundū quod attenditur in vtroq; similitudo & imitatio vnus ab altero, minor de se patet, quia quidditas leonis & bouis, & huiusmodi, necnon sentire, gustare, odorare, & huiusmodi non conueniunt deo formaliter, nec propriē, sed solū metaphoricē, quare &c.

23 Sed contra prædicta potest sic opponi quæcunque sunt penitus idem re in creatura si vnum habet essentiam diuinam pro idea, videtur quod reliquū similiter habeat, vel si vnum non habet nec reliquū, sed perfectiones deo & creaturę communes, & quidditates rerum, necnon & perfectiones earum sumptę sub modo quo eis cōueniunt sunt in creatura penitus idem re, ergo si creatura habet essentiam diuinam pro idea quantum ad perfectiones vtroq; big communes, videtur quod similiter habeat eam pro idea quantum ad suam quidditatē & perfectionem sumptam sub modo quo creaturę conueniunt, vel si hoc modo non habet, videtur quod nec illo modo quod est contra ea quę dicta sunt. Maior videtur manifesta, minor declaratur, quia constat quod cognoscere & sentire sunt penitus idē in bruto. Brutum enim nullū aliud cognoscere habet præter sentire. Esse etiam viuum est penitus idem cum esse sensitiuo, vel vegetatiuo in bruto, essentia etiam bruti vt ens viuens, & cognoscens non est aliud realiter in ipso quā sua quidditas specifica, ergo patet quod perfectiones Deo & creaturis communes vt cognoscere & discernere sunt in creatura (puta in bruto) penitus idem re cum sentire quod dicit perfectionem cum modo quo creaturę cōueniunt, & esse ens, viuens, & cognoscēs secundum quod Deo & creaturę dicuntur cōuenire est in vnoquoq; creato penitus idem re quod sua quidditas specifica, & hæc fuit minor, sequitur ergo conclusio &c. Et dicendum ad hoc quod loquēdo de vtraq; natura creatę, & diuina vt est quædam res in se nō magis imitatur creatura diuinam essentiam secundum vnum eorum quę dicta sunt quā secundum alterum, vt satis efficaciter probat ratio adducta, quia tamē intellectus ea quę sunt vnum re (sicut superius & inferius) separare potest intelligendo superius sine inferiore, contractio autē superioris per inferius est quandoq; per aliquid quod imperfectionem includit quæ non includitur in superiore, sicut contrahitur cognoscere per sentire, ideo secundum modum intelligendi dicimus quod creatura quantum ad id quod cōmuniū est nec includit imperfectionem imitatur diuinam essentiam, non autem secundum id quod est specialius & includit imperfectionem quantum in re secundum se nō sit differentia.

24 Et ex hoc habetur alia ratio quare hic non est perfecta ratio ideę & ideati, quia imitatio ideę per ideatum debet esse ex natura ideati, vt est in re extra, & nō solum vt est in anima, quia ideatum dicitur aliquid productum ad similitudinē ideę, productio autem conuenit rei secundum esse in re extra, cum ergo creatura secundum esse

suum specificum in re extra non imitetur essentiam diuinam, sed solum secundum quandam vniuersalem abstractionem suarum perfectionum factam ab anima patet quod hic non est perfecta ratio ideę & ideati.

25 Ex hoc enim apparet quiddam quod dictū fuit dist. præced. quæst. 2. scilicet quod essentia diuina nō est representatiua rerum creaturarū per hoc quod continet eas: sicut senarius continet numeros sub se contentos. Et istud tunc fuit declaratum, nec per hoc quod rationes rerū creaturarum reluceant in essentia diuina, sicut imagines in speculo, quia nihil tale est in essentia diuina nisi ipsamet dicatur imago vel exemplar rerum, quod dici nō potest, vt patet ex his quæ statim dicta sunt, quia inter imaginē vel exemplar ex parte vna & re cuius est imago ex alia, oportet esse aliquam similitudinē secundum aliquid existēs formaliter in vtroq; vt declaratum est: sed inter essentiam diuinam & res creatas non est talis similitudo, quia nihil secundum rem est in creatura quod imitetur essentia diuinam nec in essentia diuina est formaliter aliquid correspondens exemplariter quidditati rerum, vel cuiuscūq; perfectioni existentis in re creatę accepta secundum suum esse reale, licet secundum intellectum nostrum possumus abstrahere superius ab inferiori (vt cognoscere & sentire) & perfectioni creaturę sic abstractę correspondet aliquid quod in deo formaliter existens. Sed secundum hoc essentia diuina non potest esse representatiua rei vt cognoscatur, quia supponit rem vt iam cognita, quare patet quod essentia diuina nullo modo est representatiua rerū creaturarum apud intellectum diuinum, nisi secundum quod est causa continens in se virtualiter quicquid est in creaturis.

26 AD PRIMVM argumentū cum dicitur quod si sunt ponendæ hoc erit vt sint principium cognoscendū vel faciendū, dicendum quod ideę non ponuntur in Deo vt sint principium cognoscendū, quia idea vel est ipsamet res cognita quæ est exemplar sui ipsius vt sciendā, & tunc non est principium cognoscendū, sed ipsum cognitū non principale, sed secundarium, vel est essentia diuina vt imitabilis a creatura, sed vt statim dictum est, essentia diuina vel non est exemplar imitabile a creatura, vel illa imitabilitas supponit rem esse cognitā & ita non est principium cognoscendū eam. Nec ponuntur vt principia producendū nisi per modum exemplaris, ad quod artifex inspiciens operatur & ad hoc sufficit quod sint aliquid cognitum ad cuius similitudinē aliud produciatur, nec requiritur ad hoc per se quod sint principium cognoscendū, & si essent principium hoc accideret, si tamen concederetur quod ideę ponuntur vt sint principium cognoscendū & per consequens agendū argumentū non cogeret, quod licet Deus per essentiam suam cognoscat se & alia, tamen essentia sua est exemplar aliorum, & ob hoc idea, non autem sui ipsius, propter quod se non cognoscit per ideam, sed tantum alia.

27 Ad secundum dicendum quod argumentum non est ad propositum, quia Deus non cognoscit per essentias rerum cum illæ nō sint ab æterno, tamen ab æterno sunt cognitę, neq; cognoscit eas per similitudines sibi impressas, neq; per essentiam propriam vt est similitudo, vel exemplar earum vt probatum est, sed vt est causa earum, & hoc modo cognoscit perfectissimē multo amplius quā si cognosceres eas per essentias suas vel per similitudines ab eis impressas, quia tunc esset intellectus dependens a rebus & per consequens imperfectus & imperfectē intelligens, ideo &c.

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrum in Deo sit pluralitas idearum.

Tho. eadem q. ar. 2.

DEinde quæritur vtrum in Deo sit pluralitas idearū. Et videtur quod nō, quia sicut idea relatiuē dicitur ad ideatum, sic scientia dicitur relatiuē ad scibile, sed scientia Dei est tantum vna (quāuis sint plura scita) ergo similiter in Deo est vna idea tantum, quāuis sint plura ideata, vel ideabilia.

2 Item si est in Deo pluralitas idearum, aut hoc erit ex parte essentia diuinę, vel ex parte creaturarum, non ex parte essentia diuinę, quia illa secundū se est summē vna,